

omnium. Ego quod ad rationem distribuendi Professiones, non reprehendo, nam & Medici sic distribuere. Sed in L. Com. colligendis obstare judico, quòd ita singulis Collectoribus pervolutandi sint omnes libri. Decet igitur potius non materias, sed libros in eos distribui. Hac ratione, ut aliis assignentur autores Veteres: Bartolus, Jason, Alexander; aliis recentiores. Aliis Theorici, aliis Practici; aliis Germani, aliis Itali; aliis Consilia, aliis Decasteriorum Decisiones; aliis Tractatus, aliis Commentarii. Adde quæ suavit Janus Cæcilius Frey in via ad Scientias & artes.

§. 87. *Materia*, seu Objectum sunt autores & quæ ex iis excerpuntur. Autores adhibeantur ante omnia ii qui alios solent citare, & allegationibus paginas complere, ex iis allegationes transcribantur, vel saltem ad eos fiat remissio. Deinde fiat gradus ad eos qui Libros Miscellaneos scribunt, v. g. Observatio-